

Simili perspicua ratione Dauides, rex et propheta, diuino afflatu praeditus, psalmo VIII cecinit de Deo Patre, creatore coeli et terrae, eidemque iterata vice hoc creationis opus adscribit. *Video coelos, opera digitorum tuorum, lunam et stellas a te conditas*, v. 4. vt reddit SEB. CASTELLIO; vel, vt habet SCHMIDIVS, sensui verborum Ebraeorum pressius insistens: *Adspicio coelos tuos, opus digitorum tuorum, lunam et stellas, quas praeparasti*. Posthaec totum hoc vniuersum refert ad opera manuum diuinarum v. 7. *Dominari fecisti eum super opera manuum tuarum, omnia posuisti sub pedes eius*. Nemo dissentientium negabit, hieropsalten his verbis celebrare stupendum creationis opus, dum coelum, lunam, stellas, et omnia, vocat opera digitorum Dei, et manuum Dei. Etiam *αυθρωποπαθειαν*, quam Dauid adhibet, esse *θεοπρεπως* explicandam, ita vt potentia Dei indicetur, nobiscum facile affirmabunt Herrnhuthiani. Est enim, monente GLASSIO, sacris literis solenne, vt bracchium, manus, dextram, digitos, Deo tribuant, ad significandam huius omnipotentiam, sapientiam, bonitatem, et alia diuina attributa, quia per haec corporis membra nostrum robur exserere, artes nostras, aliaque sapientiae et bonitatis specimina, edere solemus. Volunt nonnulli manus diuinas a digitis Dei distinguere, coelum (*מַעֲשֵׂה אֲצְבָעוֹתָיִךְ*) opus digitorum Dei ideo nominari contendentes, quod et summa facilitate et multa arte fit conditum, prouti ab artificibus non corporis robore, non brachiis et manibus, sed digitis, opera subtiliora et faciliora conficiuntur. Sed immerito, quum per consuetam synecdochen digiti pro manibus ponantur, ipsique coeli, ab eodem vate, alibi manuum diuinarum opera dicantur, vt Psalm. XIX, 1. *Coeli enarrant Dei gloriam, et opus eius manuum ostendit aether*. Psalm. CII, 26. *Olim*

Glass. Philol.
sacr. L. 5.
Tract. I. c. 7.
p. m. 1542. sq.